

The *Lucula noctis* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/LN/index.html>)

Doctrina siue doctor al

Hinc Ysodorus libro De Summo Bono fideliter ait:
“Sicut instruere solet collatio, ita destruit contentio.”
Hec enim, relicto sensu veritatis, lites generat et
pugnando verbis etiam in Deo blasphemiam facit.
Inde heresis et scisma, a quibus fides subvertitur,
veritas corrumpitur, caritas scinditur, contentionum
studium non pro veritate sed pro appetitu laudis
exercetur; tantaque est in hiis perversitas, ut veritati
cedere nesciant, ipsamque rectam doctrinam evacuare
contendunt. In disputatione fidelium cavenda est
propositionum artificiosa subtilitas, que callidis
oblectionibus retia tendit. Ita enim versutis
assertionibus pravorum disputatio innodatur,
ut recta esse simulent que perversa persuadent.

Lucula noctis, 20 (E. Hunt ed., pp.164-5, ll.52-64).

Sicut instruere solet collatio, ita destruit contentio.
Hec enim relicto sensu veritatis lites generat, et
pugnando uerbis eciam in Deo blasphemiam facit.
Inde heresis et scisma a quibus fides subuertitur,
ueritas corrumpitur, caritas scinditur. Contenciorum
studium non pro ueritate, sed pro appetitu laudis
certatur, tantaque est in hiis peruersitas ut ueritati
cedere nesciant, ipsamque rectam doctrinam euacuare
contendunt. In disputatione fidelium cauenda est
proposicionum artificiosa subtilitas que callidis
obiectionibus recia tendit; ita enim uersuciis
asserccionibus prauorum disputacio innodatur
ut recta esse simulent que peruersa persuadent.

Ysidorus ibidem (libro III. de summo bono).

Manipulus florum, Doctrina siue doctor al

Sicut instruere solet conlatio, ita contentio destruit.
Haec enim, relicto sensu ueritatis, lites generat et,
pugnando uerbis, etiam in Deum blasphemiam.
Inde haereses et scisma, quibus subuertitur fides,
ueritas corrumpitur, scinditur caritas. Contentiosorum
studium non pro ueritate sed pro appetitu laudis
certatur, tantaque est in his peruersitas, ut ueritati
cedere nesciant, ipsamque rectam doctrinam euacuare
contendant. In disputatione fidelium cauenda est
propositionum artificiosa subtilitas, quae callidis
obiectionibus retia tendit; ita enim uersutis
adsertionibus prauorum disputatio innodatur,
ut recta esse simulent quae peruersa persuadent.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 3.14.4-6 (CCSL 111,
P. Cazier ed., pp.239-40, ll.14-27).